

8.51.17

*Idem AA. et CC. Diogeniae.*

Liber captus ab hostibus et commercio redemptus tunc demum cum pretium solverit vel hoc ei qualicumque remittatur indicio, statum pristinum recipit.

1 ¶ Quo genere matre filium redimente, cum huiusmodi contractus non de mercede, sed de tristitia repudianda cogitatur, voti recipiendi filium cogitatio cum optabili condicione filium illico matri restituit, ita ut et civilium obsequio munerum propter casum praeteritum non excusetur.

2 ¶ Piro pietatis itaque ratione ab hostibus redempto filio facti te paenitere ac de pretio quicquam tractare non convenit: dotem tamen ab eo debitam iure concesso reddi postulas.

*S. III k. Nov. Devellio CC. cons.*

[a. 294]

8.51.18

*Idem AA. et CC. Tryphoniano.*

Ab hostibus captis ac postliminio reversis pro huiusmodi casu amissa, quae in eadem causa quidem durant, omnimodo directa, quae vero per usucaptionem vel liberationem ex bonis subtracta vel non utendo finita esse videntur, intra annum utilem experientibus actione rescissoria restituuntur.

*PP. XII k. Dec. CC. cons.*

[a. 294]

8.51.19

*Imppp. Valentinianus Valens et Gratianus AAA. ad Severianum ducem.*

Si quos forte necessitas captivitatis abduxit, sciant, si non transierunt, sed hostilis inruptionis necessitate transducti sunt, ad proprias terras festinare debere, recepturos iure postliminii ea, quae in agris vel mancipiis seu aliis rebus ante tenuerunt, etsi a fisco nostro possideantur.

1 ¶ Nec timeat quisquam alicuius contradictionis moram, cum hoc solum requirendum sit, utrum aliquis cum barbaris voluntate fuerit an coactus.

*D. V k. Iul. Remis Gratiano A. et Dagalaifo cons.*

[a. 366]